

COLAI
PERA.
US V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Liber
Novo Facim
937/V

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung des Spruchs im Prediger Salomo IV. 4.
12. (Tractatus de Pane, Editio Secunda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pane.
14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophico Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

2. b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.

D. O. M. A.

DE

NON LIQUENDO,

EXERCITATIO PECULIARIS, PHILOSOPHICO-THEOLOGICA.

Necessitatem, Vtilitatem, & Prudentiam non liquendi in Theologicis ac Philosophicis ostendens, exemplis utriusq; facultatis illustrans, authoritatibus tàm Theologorum, quàm Philosophorum & Philologorum, confirmans, & quæ obstare ei videntur, removens. Ut quo medio tricæ Theologicæ quandoq; si non solvi, declinari certè possint, inter alia pateſcat.

AVTHORE
HENRICO NICOLAI
Theol. & Phil. Professore.

ELBINGÆ,
Typis ACHATII CORELLII,
Anno reparatæ salutis,
M. DC. LII.

LECTORI CHRISTIANO

ac benevolo S. & Pacem CHristi.

OMnis difficultas, Christiane Lector, *perplexitatem comitem trahit. Perplexitas variantes sententiarum diversitates introducit. Necesse enim distringi animum hominis, Ubi aut causæ rerum non satis subeunt, aut cum animo certum investigare non licet. Hærere oportet, velut inter Solem & Orcum errare, videre, non videre, probare, improbare, planeq́ ad Græcorum formam* τὴν γνώμην ταλαντεύειν, *sententiam suspendere. Romanis autem solennis in judiciis forma, Cum perplexi casus negotium fodicaret, non liquet, amplio, dicere. Eam identidem mysteriis fidei, in quibus plus sæpè latet, quàm patet, admovere, & ratio poscit, & necessitas quandoq́ jubere potest. Exemplis, rationibus, & authoritatibus, tàm in spirituali, quàm naturali argumento, evictam rem in præsente Tractatu habes. Mysteriorum ratio non semper sciri ab homine potest. In naturalibus autem ignorantiam fateri conditionis humanæ vacillatio requirit. Non est hominis, omnia scire: Ut nec rationalis substantiæ, omnia ignorare. Meditullia rerum capienda, & quædam scienda, alia inter non liquenda sunt reponenda. Ad similitudinem* DEI *factus homo est: sed* DEUS *ipse factus non est. Egregiè subtilitati literarum sine æmulo genitus* Scaliger, *In re tàm perplexâ, per speciem nempè nos intelligere, & quid ipsa species sit, cum difficultas adferret secum excusationem, excusatio persuasit nobis, ut his in tenebris auderemus connivere, substantias non suâ specie cognosci à nobis,*

bis, sed per earum accidentia, Exerc. 307. §. 21. *ait. Nos haud ad absimilem formam; Intricata tàm spiritualium, quàm naturalium, ratio indulsit nobis; ut in perplexitatibus utrarumq; ad non liqvere quandoq; recurreremus. Necessarius, utilis, ac conveniens homini hic recursus est; nisi aut se DEUM faciat, qui nihil nesciat, aut ad beluarum vilitatem damnatum, qui nihil sciat.* Ad conciliationem *etiam variantium sententiarum in spiritualibus non omninò nihil conducet, Ut* Tractat. d. medio religioso, & corruptione Sectarum, *similiaq; docebunt. Medium enim conciliandi in aliis & hoc, non omnia liqvere. Ut & medium sententiarum prudenter advertere & eligere, Quæstionum numerum habere, Principia & modos probandi accurata habere, corruptionem fidei notare, ad primam purißimamq; fidem respicere ac recurrere, quæ* cit. Tr. d. cor. sect. *deducta videbis. Tuum erit, LECTOR Christiane, conditioni mortalitatis ingemiscere, indulgere; quæ hic vides, legis, noscis, prudenter considerare, temeritatem, præcipitantiam, calumniam, nocivos sciendi scopulos, declinare, illud Philosophi simul & Theologi munus decenter occupare: Veritatem, quà patet, arripere, quà latet, mirari. Ita DEUS Veritatis ac pacis tecum sit, & salubribus monitis non infestum esse conciliet. Cujus tutelæ commendatus feliciter, quæ occupas. Vale. Elbingæ 6. Calend. Novembris. Anno salutis nostræ 1652.*

D. O. M. A.

D. O. M. A.

De non Liquendo,

Exercitatio Peculiaris.

Philosophico-Theologica.

THESIS I.

Commune conquerendi argumentum tàm Philosophis, quàm Theologis, JCtis, Medicis, & Philologis, suppeditat occulta ac intricata multarum rerum ratio, quas nec speculationibus satis discutere, nec sensibus planè dijudicare valemus. Sensus in propriis objectis & præ pedibus sitis quàm sæpè vacillet, errata in Opticis infinita docere queant, De quo Tr. de terræ motione t. 35. monendum. Ratio in nobis à priscâ perfectione excussis, cœca, obliqua, aversa, fermè scorias pro rebus, tenebras pro luce, & circumsistentia pro intimis rerum rationibus arripere solet. In plurimis velut vulpes à ciconiâ elusa vitreum vas lambere, pultem non attingere ei relinquitur. Scal. ex. 307. s. 21. Nec inconsulta tantùm rudisq; plebes huic querelæ ingemuit: Sed & insignium Virorum voces hic affectus concitavit. Physiologi quid de occultâ Naturæ ratione querantur, Dec. 2. Miscell. d. 4. adduxi. Suberit occulta natura, quæ homini ignota, Sapienti haudquaquam vestiganda erit, ait Scaliger. ex. 344. s. 4. Scintillam tantùm de operibus DEI intelligimus, Sirac. 42. v. 23. Difficiliora captu non quærere jubemur, & quæ vires superant, non insipienter exquirere, ap. Eundem C. 3. v. 21. Et difficile æstimamus, quæ in terris, ac quæ in conspectu sunt, cum labore invenimus. Quis, quæ in cœlis sunt, enarret? Sap. 9. v. 16. Medici

dici *quid de suæ artis tricositate querantur, apud varios Scriptores legi potest*, Fracastorium in Physiolog: Sennert. d. Chym. conf. C. 10. Hippocratem in aphoris. & de Med. arte: Theologis *eadem lamentatio de suis & Naturæ materiis non infrequens est.* V. Calixtum epicr. d. Coll. Thor. t. 21. 22. Pezelium p. 2. Object: d. Consid: natur: arg. 2. 3. Lutherum in Genesin, aliosq;. *Et t. 7. seq. pluribus deducetur. Inde ad classicum illud,* NON LIQVERE, *priscis Romanis in judicando usitatum, sæpeq; adhibitum, non liquet, amplio, hoc est, profero, amplius pronuncio, differo, ampliabat enim judex, cum Causa non liquebat, & de sententiâ consilii ampliari, hoc est, amplius pronuntiari, proferri, fas erat,* V. Ciceron. pr. Cæcin. t. 288. Et Or. 6. in Verr. t. 81. Et in Bruto, t. 172. Et L. 4. ad Herenn. Livium L. 4. Goclenium Obs. L L. p. 89. Aliosq;, *Sic* Chamier L. 6. de Euch. c. 8. t. 47. *Amplietur sanè consultatio.* Ego pergo ad alias rationes: *Ad illud, inq. Sæpè recurrendum nobis, quòd & rei ipsius implexæ conditio, & nostræ conditionis imbecillitas persæpè requirunt, Vt cum rem satis adæquatè capere aut explicare nequeamus, ignorantiam nostram profiteri necesse habeamus. Id jure meritoq; in multis fieri, rationibus & authoritatibus breviter commonstrare non iniquum, sed utile adversus morosos quosdam ac præsumptuosos Vitilitigatores visum est.*

2. *In mysteriis ad id variè nobis recurrendum esse exempla Theologorum docebunt,* t. 7. 8. Ego in *scriptis passim adhibere aggressus sum. Mirati sunt successores priscæ & simplicis veritatis, Cur facerem, Cum aliàs in plurimis omnes Curiositatis pagellas excutere svetus fuerim,* Vt Miscellanea, Tract. de Esse alicubi, Multipræsentia, Contradictione, Oppositione, Modis prædicandi, Festalia, *aliaq; fidem faciant. In mysticis autem*

autem Adversariis latendi & recursum in erroribus ac latibulum habendi tenendiq; occasionem per id exhibeam, qui lubenter illud arrepturi, eoq; velut umbone sese protecturi sint, erroremq; sic melius occulere animum inducturi. Eoq; necessum utileq; habitum, argumentis & exemplis palàm facere, esse quandoq; necessarium, & mysteriis tàm Naturæ, quàm Gratiæ, accommodatum, ad tale medium in Theologicis recurrere, ac per id curiositatis ansam Adversario resecare, nostram caliginem in spiritualibus confiteri, modum deniq; Controversando quærendoq; constituere.

3. Primum argumentum è Naturâ mysterii deduci potest. Si omne mysterium aliquà recondit, non omnia pandit, necesse est quædam ignota nobis in illo intercurrere, & consequenter jure dici, non Liquere. Mysterium enim vel παρὰ τοῦ μύειν τὸ στόμα, os claudere, quia rem occultam notat, quæ in promiscuam plebem non sit vulganda, Vel á μύζειν, sonum reprimere, mussare, quod non passim & apertè explicanda ea, vel δεῖν μύσαντας τηρεῖν ἔνδον, Intus occludentes observare, intus occludere, non cuivis explicare, Vel à μυεῖν dictum est, initiare, sacris imbuere: Et undecunq; derivetur, rem sacram & secretam notat, circa quam prudenter & secretò nobis versandum sit. Nomen ipsum mysterii ostendit, cujus hæc est proprietas, ut non tribuatur nisi ei, quod est supra omnem rationem & sapientiam humanam, rectè Mentzerus d. 1. c. apol. Lu. Croc. t. 48. At prius est, ut ex derivatione, definitione, & exemplis mysteriorum, Vt Trinitatis, Creationis, Vnionis personalis, resurrectionis, prædestinationis, & aliorum patet. E. jure ad non Liquere in illis recurritur. Secundum ab absurdo sumi possit. Si non ad non liquet in mysteriis recurrendum, E. ad oppositum ejus recurrendum erit, hoc est, Liquet, & in mysticis omnia liquere dicendum, Consequenter omnia in mysteriis nobis perspecta cognitaq; erunt.

At

At hoc absurdissimum, & omnibus mysteriorum exemplis contrarium est, totamq; praxin omnium Theologorum evertit, qui subinde ignorantiam suam profitentur, ac ad Scholasticam curiositatem deducit, quæ in infinitum præcipitat. E. prius verissimum esse oportet.

4. III. Ab exemplo angelorum bonorum sumitur. *Si angeli Sancti in mysteria DEI* παρακύψαι *prospicere tantùm, non ingredi & penetrare volunt, multò magis homines peccatores sobriè de illis disquirere debent, & consequenter aliqua incognita in illis occurrere non mirum ducere. Longè enim eminentior & perspicacior angelicus intellectus humano est, Vt in* Michaël. & d. 1. Curs. Phil. t. 3. *dictum, eoq; longè plura de mysteriis perspicere possent angeli, ac homines. At de angelis bonis id ita est, ut prospicere tantùm velint in mysteria, non se immergere,* 1 Petr. 1. v. 12. einkucken / nicht sich einlassen. *E. magis de hominibus id procedit, & sic necessariò multa non liquere in mysticis coguntur.* IV. A Naturalium ignoratione sumendum. *Si in ipsis naturalibus multa nos latent, & non Liquere sæpiùs arripere cogimur, multò magis in mysticis id facere tenebimur. Naturalia enim magis sensibus patent, & experientiæ, inductioni, reliquisq; observationibus obvia sunt, quàm spiritualia, quæ merâ revelatione supernaturali DEI innotescunt. At in naturalibus id ita est, ut variarum rerum exempla docent.* Formas *substantiales materialium rerum omnes ignoramus, & ne unicam determinatè nominare possumus, si humanam excipias, ut plantarum, metallorum, mineralium, brutorum, Cœlorum, Stellarum, elementorum, formas. Vnde miserè à posteriori tantùm ex proprietatibus, effectis, operationibus, externis accidentibus, ut colore, odore, sapore, universas definire cogimur, nullam à priori ex substantiali differentiâ adæquatè explicare possumus, ut omnes de eo conqueruntur Philosophi.* Imò ne lapidem *à priori & formâ suâ*

essentiali

essentiali definire possumus, quem quotidiè pedibus calcamus, ut Scaliger loquitur, V. t. II.

5. In magneticis *multa ignorantur, quorum exactas rationes nondum dare possumus, Vt* Kircherus, Gilbertus, Cabeus, aliįq; *ostendunt.* In astris *& astrorum cursu multa nondum satis plenè explicata esse omnes Mathematici confitentur.* In fluxu *ac refluxu maris plurima adhuc ignota esse Physici consentiunt; faciliusq; erit omnium de eo sententias & rationes oppugnare & evertere, quàm adæquatam & proximam ejus causam assignare, nam nec* Galilæi *ratio à telluris motione ducta omnibus satisfacit, Vt* Tr. d. terr. motu, t. 17. *dicam. In plurimis adæquatis* morborum causis *& symptomatibus Medici deficiunt. Inde miris & variantibus sententijs interdùm conflictantur, ut praxes eorum docent.* V. Sennertum, Plempium, Fallopium, Mercatum, Pisonem, Vntzerum, Horstium, aliosquè. *Sic adæquata Causa plicæ Polonicæ adhuc Medicis non liquet.* V. Sennertum L. 5. Prax. p. 3. s. 2. *Et quos ibi Medicos allegat. Proximas & adæquatas* causas variarum operationum in plantis & mineralibus *distinctè nemo expediet, etsi Chymiæ beneficio ad longè speciaiores causas penetrare hodie liceat, quam olim* Platonis aut Aristotelis *tempore licuit. Vt, currutta venena præcisè pellat, majorana & rosa cerebrum confortent, rhabarbrum bilem præcisè evacuet, non alium humorem, alia medicamenta alios humores in specie, hos aut illos, non omnes æquè, helitropium se ad Solem, selenotropium ad Lunam convertat, mandragoræ vires & operationes qui discutit, stupere in nonnullis necesse habebit. Simile in* gemmarum *quibusdam mirabilib. virtutibus agendum erit.* De adæquato lienis *in Corpore humano usu multi* Medici *ignorantiam profiteri, & ad non Liquere recurrere coguntur.* In mixtione ejusq; modo *explicando omnes Physici penè hærent, & ad non liquere recurrere coguntur,* An *elementa secundùm formas*

in misto maneant, & integras, aut infractas ac remissas, an *secundùm qualitates, virtutes, & potestates,* an *actu, an virtute in misto sint, & quæ similia, de quibus* Magirus, Sennertus, Keckermannus, Timplerus, *aliiq; videndi, &* Campanella Prodr. Philos. p. 52. seq. *varias difficultates hic nectit & pandit, vt quò se tandem Physiologi satis tutò recipere debeant, hæreant.*

6. IV. Ab exemplo eorum Phil. & Theologorum, *qui* ἐπέχειν *& non liquere in materiâ de traductione animæ rationalis de parentibus in sobolem inter reliquas sententias arripiunt, sumi potest. Si tutò & prudenter* ἐπέχειν *in traductione animæ humanæ à prudentibus Theol. & Phil. arripitur, magis non liquere in* DEI *mysteriis jure arripiatur. Plus n. mysterium, quàm animæ hum. propagatio est, quæ adhuc naturalis fori, intra illud, potestatis naturæ, quotidiani processus, intra naturæ circum conclusa, & lumini Naturæ adæquata est, Cum mysterium tanscendat, & eminentioris ac supernaturalis fori, processus, ac luminis revelantis sit. Sed prudenter illud in istâ materiâ recipitur à multis, Vt* Augustino, Gregorio, Eucherio, Luthero, Chemnitio, Gryneo, Monavio, Goclenio, Piscatore, Vorstio, Chamiero, *quos* Dec. 2. misc. d. 3. t. 6. *allegavi, Quibus* Musculus in L. C. & Lud. Crocius. d. 9. Apol. p. Aug. Conf. t. 96. Aliiq; *accedunt, Quorum modestia reprehendi non potest, cum tutissimam viam eligant, & à contentionibus præscindant, sed reprehendentium, Vt* Valentiani & Bellarmini *immodestia ac temeritas reprehensione digna est, Vt* c. l. *monui. E. Et non liquere prudenter in mysticis arripitur.* Idem *procedit, quando* utrumq; probabiliter disceptatur, *& neutri sententiæ determinatè assensus adjicitur, sed utraq; probabilis judicatur. Vbi aut utrumq; approbatur, aut quodnam alteri præferendum, non liquere dicitur. Vt* de Contradict. t. 53. *dixi.* V. A particulari Spiritualium cogni-

tione

tione in hac vitâ sumitur. Vbi *particularis & semiplena rerum est notitia, ibi justè ad non liquet recurritur. Hoc n. semiplena cognitio comitem ducit, non omnia nosse, nec omnium rationes dare posse, consequenter de multis non liquere confiteri. At Spiritualium semiplena hic est notitia, ex parte n. cognoscimus, & ex parte prophetamus, ac per speculum in ænigmate jam videmus,* 1. Cor. 13. ℣. 9. 12. *Imò de multorum naturalium notitiâ dicere ita cogimur, quod velut in ænigmate tantùm naturam sæpè videamus,* t. 1. 4. E. *Justè ad non liquet in spiritualibus recurritur.*

7. VI. Ab eminentiâ cognitionis Divinæ sumitur. *Si solius DEI privilegium est, omnium exactam notitiam habere, & omnia sibi liquere dicere, necesse est humanam cognitionem in multis deficere, & sic ad non liquere decurrere. Deficit n. â DEI perfectione, eaq́ infinities minor est, adeoq́ oppositam ejus ab illâ rationem esse oportet. Sed prius est, & DEI id proprium est.* Job. 11. ℣. 7. C. 12. ℣. 13. Ps. 139. ℣. 18. Ps. 147. ℣. 5. Esai. 40. ℣. 30. seq. Rom. 11. ℣. 33. 34. *Vndè communiter dicitur, Omnium habere scientiam divinitatis argumentum est.* E. *humana cognitio oppositè se habet, & multa sibi non liquere dicit, ut Divina omnia sibi liquere dicit.* VII. A communi dicterio, satius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. *Nam si sic, E. in multis satius non liquere dicetur, quàm temerè litigabitur, aut decidetur, ubi exitus non patet. At prius est, Ergò & posterius.* VIII. Ab exemplis ipsarum materiarum in Theologicis sumendum, *in quib. ad non liquet necessariò recurrendum. Sic* mundus *post annum interibit, aut non interibit, additur, aut totum hoc non liquet, & nulli hominum dici potest, ne ipsi filio hominis CHRISTO,* Marc 13. ℣. 32. Ordines *angelorum aut hi, aut illi, tales aut alij sunt, adde, aut totum id dici nequit, & curiosè inquiritur,* V. Mich. t. 54. *Sic* Filius *DEI aut fuit,*

antequam genitus est, aut non fuit, addi potest, aut totum hoc dici nequit, & vanè disquiritur. *Aut* totum esse *Pater filio communicavit, aut non totum, adde, aut totum hoc incognitum est, & curiosè ab homine tentatur aut deciditur.* Idem *de eodem numero esse ab idiotâ non absurdè dicetur, non liquere,* Ut de Contradic. c. l. *dixi.* *Sic* DEus Corpus *multipræsens sistet aut definitivè, aut circumscriptivè, additur,* aut *novo, miraculoso, & inexplicabili modo, ordinarijs alicubitatis modis, quales definit: & circumscriptivus sunt, non comprehensis, Vt* c. l. *dixi, &* de Multipræs. t. 57. 96. Infantes *infidelium aut salvati, aut damnati, additur, aut non liquet, & judicio DEI committuntur. Quid n. ad nos de illis, qui extra sunt, judicare, Vt* c. l. d. Contrad. *adduxi.* Conf. t. 9. IX. Ab occultis DEI judicijs sumi potest. *Si incomprehensibilia sunt DEI judicia, & impervestigabiles viæ ejus, necesse est in illis multa non liquere, & consequenter rectè illud à nobis arripitur. Ideò n. incomprehensibilia & investigabilia dicuntur, quod nos eorum rationes scire & assignare non possimus. Sed prius est ex* Rom 11. v. 33. seq. *Vbi totam prædestinationis & rejectionis doctrinam notabili illâ exclamatione de imperscrutabilibus DEI vijs concludit.* Huc & pertinet, *Cum gubernationem DEI inter incomprehensibilia Viri sancti recensent, Vt Iob, David, Assaph, alijq;* Job. 35. 36. 37. 39. 42. Ps. 73. v. 16. Ps. 139. v. 6. Ps. 147. v. 5. *Et alibi.*

8. X. Ab authoritatibus Theologorum, Patrum, & Philosophorum sumitur. *Quicquid prudentes Theologi & Philosophi agunt, â moderatis reprehendi non potest. Prudenter n. procedere solent, inter extrema medium servare, & ab eorum exemplo reliquis idea agendi ac procedendi capessi solet.* Sed illi *in spiritualibus & Civilibus sæpè ad non liquere recurrunt. E. hoc reprehendi non debet, sed imitandi exemplum esse potest.* Minor *inductione firmatur. Ex patribus* Irenæus L. 2. c. hæres. c. 48.

Nec

Nec nos erubescimus, ait, in quæstionibus majora secundùm nos, reservare DEO. Nemo n. super magistrum Christum est. C. 45. Melius esse ait nihil omninò scientem DEO credere, & in ejus dilectione perseverare, quàm per quæstionum subtilitates in impietatem cadere. Gregorius M. L. 3. moral. ad videre in cœlis recurrit. Ambrosi9 L. 1. d interpell. C. 9. Si liber verè ejus est, nam sub nomine ejus citari solet, Non tibi licet scire, homo, alta sapientiæ, ideò tibi scriptum, noli altum sapere, sed time. Quid curiosè quæris investigare, quod tibi non expedit scire, nec datur cognoscere. Imperatoris in terris consilia non licet scire, & vis scire Divina? Non licet curiosiùs investigare, quæ in terrâ geruntur, & curiosiùs requiris, quid supra cœlum agatur? Abyssum scire & comprehendere non potes, quomodo altitudinem sapientiæ comprehendes? Nazianzenus omnib: mysteriis silentij fidem deberi sacris proditum ait, & reverentius esse credere ac suscipere, quàm temere inquirere facta supremæ majestatis addit. Or. 6. nos ne illa, quæ ante pedes sunt, scire ait, nec arenas maris, guttas pluviæ, dies ævi numerare, nedum ut per DEI profunditates incedere possimus. Idem DEI generationem silentio colendam ait. Orat. 3. de Theol. Magnum tibi sit, scire, quòd sit genitus. Quo autem modo, ne angelos quidem, nedum te, intelligere concesserimus. Idem Or. 2. Divina contemplare, ait, Verùm in terminis maneto. Ne Patris naturam, Unigeniti essentiam, Sp. S. gloriam nimis curiosè rimare. Bernhardus ep. 77. Sacramentum DEI altissimi suscipiendum, ait, non discutiendum: venerandum, non dijudicandum.

8. Justinus in expos. fidei, Ubi Deus sit, etsi lateat, nihil detrimenti ignorantes capere ait. Rerum divin. notionem pro virib. quidem investigandam: At studio eo ob imbecillitatem fatigatos, pro eo, ac possis, adorare eas debere, ne fides nostra inanis reddatur. Quæstiones dubias una decidat fides, & sermones divinos extimescamus,

nescimus, *ait*. Tertullianus *novissimè melius ignorare esse ait, ne, quod non debeas, noris. Fides tua salvum te fecit, non exercitatio Scripturarum. Nil scire omnia scire est*, L. d. præscript. Cyprianus l. 3. ad Quir. C. 53. *DEI arcana perspici non posse ait, ideò fidem nostram simplicem esse debere, & 1.* Cor. 13. Sap. 1. Eccles. 3. Rom. 11. aliaq; *allegat*. Augustin. Serm. 189. d. tempore. *Accepto baptismo hoc dicimus, fidelis factus sum, Credo, quod nescio.* Idem L. 83. qu. q. 68. *graviter corripit eos, qui in eâ sententiâ non desinebant curiosi esse, quâ ipsa curiositas objurgata est*, Rom. 9. v. 20. Idem C. 17. d. cura pro mort. *Non est parvus fructus, si obscura & incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum saltem nobis sit, non esse quærenda, & quod unusquisq; vult discere, putans prodesse, si sciat, discat non obesse, si nesciat.* Idem *ordines angelorum se ignorare profitetur, eosq;, qui illa dicant, vix illa probare posse ait.* L. co. Priscill. C. 11. Et Enchir. ad Laur. C. 58 Et Ep. 1. 57. ad Optatum *de animæ origine aliquid certum se in Scripturis Canonicis nondum comperisse ait.* Et L. 11. Confess. C. 14. *dicit, Quid familiarius & notius in loquendo commemoramus, quàm tempus? Quid ergò est tempus? Si quærenti explicare velim, nescio. Similia* Nazianzenus, Cyrillus, Irenæus, *habent, Vt* in Michael. t. 54. *adduxi*. Hilarius L. d. Pat. & Fil. unit. *Si quis divinæ generationis Sacramentum non possit consequi, sine dolore à me audiet, ait, Ignoro, ego nescio, non requiro. Archangeli nesciunt, angeli non audierunt, Propheta non sensit. Aestuo, hebesco, & unde incipiam, nescio.* Idem L. 8. d. Trin. *Habet non tàm veniam, quàm præmium, ignorare, quod credis. Quia maximum stipendium fidei est, sperare, quæ nescias. Qualia* Meth. d. Trin. t. 9. *etiam allegata*. Isiodorus, *Credere debemus, discutere prohibemur: & sic removet superbiam*, ap. Konig.

ep.

ep. in 1. p. Epiphan. Salvianus *de Arianis, qualiter pro hoc falsæ opinionis errore in die judicij puniendi sint, nemo potest scire, nisi judex.* Gregorius M. L. 7. c. 5. *de origine animæ quæstionem incertam, & in hac vitâ insolubilem mansisse inter Patres confitetur.* Isidorus Hispalens. L. 2. d. off. Eccles. C. 23. *Animæ incerta est origo, ait.* Cassiodorus l. d. animâ, C. 14. *Melius est in tàm occultis causis confiteri ignorantiam, quàm periculosam fortassis assumere audaciam, Cum dixit Apostolus, Quis enim cognovit sensum Domini?* Ambrosius L. 1. d. fide C. 5. *Licet scire, quòd natus sit DEI Filius: Non licet discutere, quemadmodum natus sit.* Cyrillus Alexandrin. in C. 6. Johann. *Oportet nos in susceptione divinorum mysteriorum fidem habere curiositatis expertem, nec ijs, quæ asseruntur, subijcere illud quomodo. Iudaicum n. vocabulum est, & extremi proinde supplicij causa.* Faustus Rhegiensis L. 1. d. lib. arbit. c. 14. *Quid rationis est, ut interrogare velis occulta, cum solicitudini tuæ plenissime respondere videas manifesta? Quid utilitatis est certa omittere, & incerta consulere, de quibus nihil inuenis Catholicâ lectione conscriptum? Non intelligis, quòd in veritatis injuriam perscrutaris, quicquid veritas scire te noluit?*

9. Ex Pontificiis Faber præf. in 4. Evang. *Sunt in Evangelio non pauca ait, quæ credi ab hominibus possunt, at intelligi non possunt, ad quæ intelligenda nemo adspirare debeat. Nam credendorum immensitas ac majestas humanam mentem obruant, ut fons solaris lucis sensibilem oculum.* Bellarm. L. 1. d. Justif. C. 7. *fidem meliùs per simplicem assensum & ignorantiam definiri, quàm notitiam, disputat.* Biel olim, *quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus, dixit.* Cajetanus, *Quiescet in mysticis intellectus noster, non evidentiâ veritatis inspectæ, sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ,* ap. Amesium, V. t. 10. Broikvvius

præf.

præf. enarr in Johan. *Convenit homini DEI bonitatem potiùs amare, quàm sublimitatem comprehendere, quam ne Cherubim quidem ad plenum assequuntur. Plenior cognitio naturæ divinæ futuro seculo reservatur his, qui per pietatem cordis oculos purgârunt. De rebus divinis tantum per filium revelavit Pater, quantum ad consequendam salutem satis est. Itaq; periculosæ temeritatis est, quidquam affirmare de divinâ naturâ præter ea, quæ Christus vel Spiritus S. nobis aperuit,* ap. Calixtum epicr. t. 23. Kempisius d. imitat. Chri. L. 1. c. 3. *Quid prodest magna cavillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus non arguemur in judicio, quia ignoravimus?* Becanus *in quæstione, an in missâ ipsa Caro Christi interdùm appareat, an tantùm species ejus, rem incertam esse ait, de quâ nihil temerè affirmare ausit.* T. 2. Opusc. Op. 11. C. 13. append. Lombardus l. 2. dist. 2. n. 5. *Nos quod prius dictum, pro captu intelligentiæ nostræ magis approbamus: salvâ tamen reverentiâ secretorum, in quibus nihil temerè asserendum est.*

Ex Lutheranis Lutherus append. Colloq. mensal. C. 42. *Optimum ait, prorsùs nihil disputare, sed toto corde dicere, Credo in Ies. Chr. Dei filium. Plura non scio, nec scire cupio.* Idem *in mysterio Trinitatis credenda, non scrutanda ait, & ne angelis quidem nota omnia esse dicit,* T. 6. Jenens. p. 579. a. Idem *non posse nos comprehendere aut eloqui ait res supra hanc vitam, imò omnes hujus vitæ, Vt quomodo Christus sanguinem sudârit. Itaq; simpliciter nobis credendum, & rationis scrutinia abolenda ac prohibita esse,* in Concion. Torgensi *postea citandâ.* Chytreus *in album Patris mei b. m. ad* p. 31. *propriâ manu scripsit, Quantò fides simplicior, etiamsi nec disputemus omnia, nec intelligamus, tantò cives Ecclesiæ nobiliores, & DEO cariores erimus. Quod &* Caselio *tribuitur in* præfat. ad capita pietat. Camerarij,

rarij,

rarij, *Vt* Brölerus citat C. 1. myſter. iniqu. PſeudoEvang. Hutterus *tutius non liquere dicere ait in divinis de differentiâ perſonæ & proprietatis characteriſticæ*, Loc. Com. p. 101. *Vbi infernus in ſpecie ſit, non liquet, ait* Gerhard. d. infern. t. 84. Idem *de re obſcurâ non adjuvantibus perſpicuis verbi oraculis cohibere ſe humanam præſumptionem debere ait temerè in alterutram partem aliquid definiendi*, L. C. d. Cœna. t. 230. Idem *DEVM melius ſciri neſciendo dicit*, *Vt* Iren. def. p. 3. t. 24. *citavi*. Brochmandus de *ſalute infantum infidelium ſine baptiſmo mortuorum* ἐπέχειν *ſe malle, quàm temerè definire ait* L. C. d. pecc. C. 6. q. 16. Conf. t. 7. Idem *in quæſtione de polygamiâ Patrum V. T. an* DEO *probata, an reprobata, facit* de Conjug. C. 4. q. 5. *Quod in eadem quæſtione &* Chemnitius, Mentzerus, Gerhardus, *faciunt, quos ibi allegat. Similiter an Chriſtus ipſe ullum baptiſarit,* τὸ ἐπέχειν *præſtare, quàm temerè quidquam definire ait*, L. C. d. baptiſm. ſ. 3. Idem *in quæſtione, Cur DEus aquâ præciſè baptiſmum expedire voluerit, facit, præſtare* ἐπέχειν, *quàm curioſius ſcrutari, quod Deus non revelavit, dicit* c. l. Idem *an à Chriſto & Apoſtolis reſuſcitati iterùm mortui, tale quæſitum ait, ut certò à quoquam decidi nequeat, ideò tutius ſilere, quàm citra Scripturam quidquam definire judicat*, L. C. d. morte, C. 3. q. 5. *De corporibus impiorum certò ſe non poſſe dicere ait, an integra, an manca reſurrectura ſint*, L. C. d. reſurrect. C. 2. q. 8. *De qualitate ignis mundum conſumpturi præſtare ſententiam ſuſpendere dicit, quàm audaciùs extra Dei verbum definire*, L. C. de conſum. ſeculi, C. 1. ſ. 2. Et C. 2. q. 4. *De ſigno filij hominis ſimiliter* ἐπέχειν *arripit*, de extre. judic. C. 1. ſ. 7. Et *de loco inferni* L. C. d. inferno, ſ. 4. C. 1. *Sæpè ad futuram Academiam aliquid & ibi diſcendum differendum ſvadent*, *Vt* Proteſtantes in ſummar. Compreh. an. 81, art. 9. Jacob. Andreæ in 14. p. Trinit.

Anno 1575. Apologia form. Concord. C. 9. *Necesse est, ut mysterium esse & manere agnoscamus, quod secundùm omnes circumstantias & partes frustra explicare conamur, cum id etiam in hac vitâ præstare nequeamus.* Et in epitome C. 9. *Quomodo hæc de descensu ad inferos effecta sint, non curiosè scrutemur, sed hujus rei cognitionem alteri seculo reservemus, ubi & hoc mysterium & alia multa revelabuntur. Similia* Lutherus in Concione Torgensi an. 533. *habet, quæ omnia citat & approbat* Frantzius de interp. Script. Or. 118. Centuriator. Magdeburgens. C. 1. L. 1. p. 342. *Fortè & satis nobis est, genus de descensu ad inferos nos tenere, exactam explicationem hujus mysterij in alterâ vitâ audituri.*

Mentzerus T. 7. Gies. d. 4. t. 29. *Magna Christianæ sapientiæ pars est, æquo animo ignorare velle, quæ in Verbo DEUS non revelavit, & in æternam Academiam differri voluit.* Idem d. 1. c. Apolog. Lud. Crocij, t. 19. *Quid divina omnipræsentia sit, puto in hac terrenâ vita intelligere neminem posse.* Scheiblerus proem. Metaph. n. 49. *Si in Theologiâ ignorantiam aliquando quis fateatur, illud Scaligeri bonâ suâ cum laude & inviolatâ existimatione completurum ait: Humanæ sapientiæ pars est, quædam ignorare velle.* Meldenius in parænesi p. 36. *Non omnia in spiritualibus ad vivum resecanda, sed in piscatoriâ simplicitate acquiescendum, & quædam in alteram ac cœlestem Academiam reservanda. Ex parte n. hic cognoscimus.* Schuppius in aurora p. 109. *Accedite, & munus supra aurum, thus, & myrrham gratissimum Christo offerte, Confessionem ignorantiæ & imbecillitatis vestræ. Et* p. 104. seq. *plura in hanc rem habet.* P. 65. *Ut inter bonas Grammatici virtutes est, quædam ignorare: Sic non minima Theologi virtus, quædam generoso silentio & sapiente contemptu refutare.* Calixtus Epicrisi de Colloq. Thorun, t. 21. 22. *Quis cœli modum explicabit*

plicabit tàm rapidum, quis systema universi certò constituet? Quis naturam animæ aut Corporis exactè explicet? Quid itaq; nos homunciones, qui ne formicæ quidem naturam perfectè assequimur, modum mysteriorum scrutemur, & infinitam DEI naturam intra angustias intellectus coarctemus? Meminerimus, mentis nostræ aciem hebetem & imbecillem esse, & ijs, quæ ante manus & pedes sunt, nedum mysteriis, ad liquidum pervestigandis imparem. Plurima DEVS æternæ vitæ reservata voluit. Et t. 46 *probat dictum*, τὸ ἄγνωστον ἐπιστητὸν μόνον, ὅτι ἄγνωστον, *de rebus, quæ sciri nequeunt, sufficit novisse, quòd sciri nequeant.* Idem in desider. de pace judicio de Contr. Reform. *subjecto*, t. 14. *Nostræ ætatis homines circa res divinas & earum quomodo ingeniosi magis apparere, plura abstrusiora scrutari, nosse & proferre videntur, quàm par aut opus est, & primi optimiq; Christiani scrutati sunt, qui simplicitati acquieverunt.* Tarnovius d. Trinit. C. 1. p 28. *Quod Scriptura non definit, nescire malumus, quàm frustra inquirere, aut non certò cognitum asserere. Statuimus n. ex Apostolo, nostræ sobrietatis esse,* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, Rom. 12. v. 3. *Et eodem doctore didicimus* τὸ μὴ ὑπὲρ τὸ γέγραπται, φρονεῖν, 1. Cor. 4. v. 6. *Scriptura a. non explicat, quibus de causis Diabolus ad hunc vel illum errorem aliudvè peccatum hominibus suggerendum impellatur.* Apolog. Form. Conc. C. 9. *Officij nostri est, ait, mysteria hujus abyssi, Vnionis personalis, non perscrutari, nec subtilissimè omnia, quæ argutè concludendo effici possunt, persequi. Verùm id potiùs convenit nobis, ut in hac vitâ eo contenti simus, Christum secundùm humanam naturam verè ibi præsentem esse, & adesse posse atq; velle, Vbi sui præsentiam verbo veritatis pollicitus est.* Affelman. disp. de homine, t. 112. *Humanæ sapientiæ pars est, quædam æquo animo ignorare velle.* Et t. 111. *Propagationis animæ modum non posse nos cognoscere formalem ait,*

quod in mysteriis fidei solenne sit. Meisnerus *multa* ἄγνωστα *esse fatetur partim Physica, partim hyperphysica, partim absoluta, partim respectiva, & in certâ disciplinâ,* p. 1. Ph. Sob. s. 1. C. 6. q. 6. *In his sine dubio non liquere arripiendum dicet.* Nicander in fest. annunt. p. 1. p. 188. *In conceptione Christi tria miracula esse ait, quæ fideli corde recipere oportet, donec eò veniamus, & ex ipso ore Christi recipiamus.* Chytreus in C. 3. Apoc. *In talibus controversiis bonâ conscientiâ assertionem suspendere, & neutri parti addictum esse licet.* Menzelius in Catechis. *Tres quæstiones sunt, quando Christus ad inferos descenderit, an Corpore & animâ simul, & quorsùm? Sed simplices hæc non curent, sed differant, donec novissimo die videamus, quomodo cum his & similibus, quæ comprehendere non possumus, se res habuerit, citante* D. Pauli in Reform. Aug. C. 15. Tummio in impiet. Weigel. *esse Theologos ait, qui circa quæstionem, Vbi 1000. anni Apocalyptici inchoent & desinant,* ἐπέχειν *& suspendere judicium, quàm certi quid determinare velle ait,* err. 112. p. 299. Danhauverus *in quæstione, an Maria rupto utero, an clauso, Christum pepererit, judicium suspendit,* Christosoph. s. 3 t. 14. Et supra s. 1. t. 16. *idem se fecisse dicit.* Meisnerus in *materiâ de substantiali mundi interitu* τὸ ἐπέχειν *tutissimum forte ait* p. 1. Ph. sob. s. 3. C. 3. q. 5. Idem Heerbandus, Mylius, Hutterus, aliiq; *arripiunt, Vt* de medio relig. t. 56. *adducetur.* Tummius *in loco* Matth. 27. v. 9. *conciliando ad* ἐπέχειν *& ingenuum nescire recurrit,* Impie. Phot. d. script. t. 5.

10. Ex Reformatis Molineus d. Cogn. DEI p. 141. *Ignoratio religiosa præstat curiosâ scientia. Ignis propinquos torret & urit: Sic DEVS penitùs in arcana sua ingredi ausos perdit & vertigine percutit.* Comenius in prod. panso. p. 85. *Satius existimamus in Theolog. quædam ignorare, quàm perperam scire,*

ut innuit Apostolus Phil. 3. v. 15. 16. Amesius con. Grevinchovium L. 2. C. 13. t. 3. *Si difficultas de præscientiâ, providentiâ, operatione DEI circa malum oriatur, ignorantiam potius nostram fateamur, & rem hanc totam impenetrabilem, quàm malum ab eo effici, aut non effici bonum concedamus.* Et Cajetani *dictum probat* t. 9. *citatum.* Postea *certum ait, novisse DEUM futura peccata, etsi incertum sit, quomodo tàm impura in sanctissimâ voluntate prævidere poterit. Satis esse, si de bonis nobis constet, licet malorum origo intellectum nostrum fugiat.* Conr. Graserus in C. 9. Dan. *DEI revelata potiùs religiosè observanda, quàm humanæ disputationi permittenda ait.* Leidenses *de naturâ ignis infernalis* ἐπέχειν *malunt, quàm certi quid statuere,* in syn. Theol. d. 52. t. 51. Cameron *quærere, quis Melchisedech fuerit,* Hebr. 7. *Esse quærere ait, quod DEus scire noluit,* in C. 7. Hebr. Ex Remonstrantibus Arminius in præf. Orat. *Meritò disquiritur, Utrùm non alicubi illud Apostoli meditari debeamus, Non sapere ultra id, quàm oportet, & quærendi alicubi limites nobis circumscribere, Cum res Scripturæ divinæ sint, nos q. homines simus, & gloria DEI sit sua quædam occulta habere,* Prov. 25. Cœteri Remonstrantes in Vedelio Rapsod. p. 1. C. 9. *Cujus naturæ respectu aut quomodo Communicatio ista facta sit, inter arcana divinæ sapientiæ ponere malunt, quàm curiosè inquirere, & quis hanc* ἐποχὴν, *addunt, aversetur?* Similiter *in aliis dogmatum modis* ἐπέχουσι, *Ut* c. l. *patet. De quibusdam punctis hæsitant, & judicium suum non interponunt, sed ea DEO & tempori committunt, neminemq; tàm felice ad omne verum judicio reperiri ajunt, quem non aliquando aliquid fugiat aut fallat. Ac Vedelium* ἐπέχειν *in quæstionib. adeò gravibus, & ingenio suo non fidere, discere jubent.* P. 2. C. 4. *dubitare se ajunt, an Sociniani à totâ Ecclesiâ pro hæreticis habiti fuerint. Nec negare, nec affirmare, hæreticos esse. Argumenta tantùm*

 postulare,

poſtulare, quæ eos hæreticos eſſe demonſtrent. Paratos, ubi ſolida comperierint, è veſtigio damnationi eorum ſubſcribere. Idem reſp. ad ſpecim. Leidenſ. p. 40. *faciunt, Vt* de Contrad. ſ. 1. t. 53. *monui.* P. 2. c. I. C. 10. *Nec affirmare ſe, nec negare ajunt, dogmata illa controverſa ad ſalutem neceſſaria eſſe, ſed* ἐπέχειν. Et poſtea in *controverſiâ de Cœnâ malle ſe* ἐπέχειν *ajunt, quod ſenſus neceſſitatem attinet, quàm in alteram partem quidquam præcisè definire.* Grevinchovius in reſp. ad diſſert. p. 364. *Quid ſi modum & rationem illam inexplicabilem dicam, Tunè impoſſibilem idcircò rem dices? Sic & Trinitatis, generationis, & unionis in Chriſto myſteria nobis explicato, aut & hæc negato. In divinis facilius cognoſcitur, quomodo non ſint, quàm quomodo ſint. Modus igitur nobis incertus ſit: at certa res eſto.*

11. Ex Philoſophis Scaliger ex. 344. ſ. 8. *Bonâ fide interea pignori ſe relinquere Cardano ingenui candidiq; animi Verbum hoc, Neſcio, ait, eosq; qui occultas proprietates ignorantiæ aſylum contumelioſis verbis vocent, ſæpe quæ deſtruant, conſtruere dicit.* Idem Ex. 307. ſ. 12. *Nomina tu lapidis formam, inquit, qui quotidiè oculis obverſatur, & Phyllida ſolus habeto. Nego tibi ullam eſſe formam nobis planè notam, noſtramq; ſcientiam eſſe umbram in ſole. Formarum n. cognitio eſt rudis, confuſa, nec niſi per periſtaſes.* Et ſ. 21. *ſubſtantiæ non ſuâ ſpeciè cognoſcentur à nobis, ſed per earum accidentia. Quis n. me doceat, quid ſit ſubſtantia, niſi illis miſeris verbis, res ſubſiſtens? Corpus, quod tangi poteſt. Dicatur mihi, quid eſt caninitas, aſinitas, leonitas? Tàm equidem notum eſt nobis horum quidvis, quàm quod ignotum. Definiamus lapidem iſtum ipſum, qui præ pedibus eſt. Nugæ: Similiter* ex. 1. ſ. 1. *Ad ſempiternarum rerum intellectionem mentis noſtræ acies tam imbecilla eſt, quàm ad ſolem intuendum Nycticoracis oculus. Quod &* Ariſtoteles *de manifeſtiſſimis pronuntiat, Vt veſpertilionum oculi*

oculi ad lumen diei, sic intellectum nostrum ad manifestissima omnium se habere ait 2. Metap. C. 1. *Ac in essentiis formisq; rerum specificis, ut rutæ, Cypressi, Leonis, auri, plantæ, metalli, bruti, exprimendis omnes Verum reperiunt Philosophi, & alibi à me monitum.* Idem Scaliger in Concluf. ad Cardan. *Qui hoc palàm perpetuoq; profitear, in hac humanâ caligine rerum omnium ignaros esse nos, qui sperem me cœteris anteire, Cum ejusdem imbecillitatis & naturâ sim soboles, & alumnus institutione?* Et ex. 101. f. 14. *Formæ essentiam puto latere nos, ut & alias multas, ac fortassè omnes. In magno periculo versamur, ne ullam veram teneamus definitionem, ne nostra scientia humi repat per tenebras circa sola accidentia.* Idem *sapientiam veram ait, nolle nimis sapere,* ex. 274. *Occultam naturam in multis subesse dicit, quæ homini ignota, sapienti haudquaquam vestiganda sit,* ex. 344. f. 4. Idem *latere nos exquisitam illam cognitionem ait, quomodo ex duob. unum fiat, quomodo forma in toto, & quacunq; parte tota sit. Et humanæ sapientiæ partem esse, quædam æquo animo nescire velle,* ex. 307. f. 29. Et ex. 131. *f. 1. in luce rerum tenui nos caligare ait, in mediocri cœcutire, in majore cœcos esse, in maximâ insanire. Quid aliud dicam, inquit, quàm me nescire.* Similiter ex. 365. f. 9. *Quotusquisq; nostrum ignorat inscitiam suam? Quàm tùm demùm cum verâ sapientiâ commutabit, Ubi non invitus, ac verò lubens fatebitur, se nihil scire.* Mirandulanus *in positionibus confitetur, nondum sibi liquere, DEUM essentiam infinitam habere,* ap. Bodinum l. 4. Theatr. p. 512. Vt Tr. d. Efs. alic. f. 2. t. 15. adduxi. An *angeli specie inter se differant, an solo numero, non apodicticè decidi potest, adeoq; tutò non liquere arripi potest. Vt in* Michaelib9t. 56. *dixi.* Wendelinus *problema, an animæ sentientium & germinantium actu primo in suis seminiis, nucleis, & granulis sint, an eâ tantum potentiâ, quæ actualem animæ extra causas suas existenti-*

am negat, eiq; opponatur, tale judicat, de quo in utramq; partem non sine specie multorumq; applausu disputari posit, Ep. ad Becmannum exer. Theol. Becmanni *subjunctâ.* Plato 7. d. Rebubl. *nos in hoc mortalium orbe non aliter ac in specu collocatos, ac solas rerum umbras inspicere ait.* Ramus in Schol. Dial. p. 91. Alstedius L. 7. Encyclop. p. 2. C. 13. t. 3. *Augustini illud probat, multa cognoscendo ignorari, & ignorando cognosci, & hic inprimis locum habere ait, Vbi de occultis qualitatibus agitur, quarum investigatio Magia naturalis dicatur, in quâ Verbum modestiæ, nescio, subinde usurpandum sit, Quæ necessaria ignorantia & erudita inscitia sit,* Scaligeriq; *factum contra eos, qui negant, disputantis, approbat.* Lipsius Comm. ad L. 3. annal. Tacit. C. 2. *Quorsùm illa, quæ in Tacito superent, nempè, scripsissent expostulantes, quod haud minùs Tiberius, quàm Piso, abnuêre, non liquere ait.* Joseph. Scaliger *in quæstione, cur Ignatius sub Trajano ex Syriâ Romam perductus sit, & civem Romanum bestiis objicere, ut Ignatium, non licuerit, ingenuè ignorantiam fateri & non liquere dicit* ap. Alsted. C. 12. Hist. reg. 2. n. 1.

12. *Ita* nostra sententia *confirmata: Paucis de* objectionibus quibusdam *dispiciendum, quæ contra eam moveri queant. Quibus dextrè amotis veritas sententiæ multò illustrior evadat.* Dices 1 Tu ipse contrarium in plerisq; scriptis *hactenus editis facto tenuisti, & non solum ad non liquere non recurristi, sed omnes curiositatis modos, minutias, specialitates in Theologicis quærendo adduxisti, ventilasti, decidisti, Vt* Miscellanea, Tract. de Pane, Esse alicubi, Multipræsentiâ, Natalitia, Pass. Paschalia, Pentecost. Michaelia, de Oppositione, Contradictione, Notitiis naturalibus, Modis prædicandi, *aliaq; apertè docent. Quomodo nunc repentè mutatus ad non Liquere recursum capis, & Syncretistarum conatibus auxiliaris? Olim*

ἐπέχειν

ἐπέχειν de ortu animæ rejectum, & determinata de eo sententia arrepta, Dec. 2. Misc. d. 3. t. 6. 22. Nunc id reducitur, & in spiritualibus arripi suadetur? ℞. Sectatus sum minutias, & discussi, Vbi per materias licuit, & res exitum usq; quaq; habuit, & in rebus magnam partem per naturam cognitis, ac materiis Philosophico-Theologicis, Vbi disputandi, confirmandi, oppugnandi, & disceptandi locus ac occasio fuit, Vt Tractatus ipsi docent. Sed non pro fide Christianâ, Verùm scientiâ Philosophicâ & Theologicâ id actum, quam firmare & amplificare volui, cum Spartam nactus essem, quam ornare debere aut velle justum videatur. Iam non Liquere arripio, sed in mysticis, & ubi de fide ac mysteriis fidei agitur, ubi omnia disquiri ac decidi non possunt, & res exitum non invenit, sed in infinitas tricas ac Labyrinthos deducit, & rationes in alterutram partem non satis semper stringere deprehenduntur, sed magis lites extendere, quàm componere videntur, ac Scriptura ipsa ad specialitates non satis determinatè inclinat, Vt pro unâ parte sufficienter sententia constitui queat. Vbi tutissimum, Curiositati viam per non liquere rescindi, quàm infinitis altercationibus aperiri.

13. 2. Esto, olim sic actum esse. Hodie si dies diem doceat, & ex tutioribus, generalioribus, minusq; perplexis & contentiosis principiis ac hypothesibus ad compendifaciendas lites, non in infinitum extendendas, procedi possit: nihil obstat, & facto utilius sit, nemoq; jure reprehendere queat. Quod in liberâ Republicâ semper liberum fuit, & manebit. In ipsâ materiâ de animâ humanâ τὸ ἐπέχειν improbari non posse, jam olim dixi, & eos, qui improbant, reprehendi, V. t. 6. Multaq; specialia in ipsis Physicis materiis nos latere dixi, & exemplis ostendi, d. 4. t. 2. Dec. 2. Misc. Cur a non liquendo tum adeò alienus fuerim? Imò in Michaëlibus jam anno 45. in multis idem arripui, Vt Tractatus ostendit.

ostendit. Quis in mysticis jam facere reprehendat? 3. Sed nec in gratiam sectæ Syncretisticæ *illud arripitur, nam & ab illis jam in mysticis istud suggestum & adhibitum, qui de Syncretismo nihil cogitare potuerunt, & quorum tempore nihil de conciliandis religionum diversitatibus notum aut motum fuit, Vt* Menzero, Chytreo, Fabro, & Patribus *quibusdam, Vt* Hilario, Justino, Isiodoro, t. 8. 9. *Sed ex ipsâ mysticarum materiarum indole ac naturâ illud eruitur, animadvertitur, & adhiberi suadetur.* t. 3. *Tùm etiamsi eo fine adhiberetur, Vt aliqua in religionibus Compositio tentaretur, nihil incommodaret. Cum ad pacem omni modo contendere omnibus Christianis severè injunctum sit,* Ps. 34. Rom. 12. 1. Cor. 1. 2. Cor. 13. Hebr. 12. 2. Tim. 2. *Quod* Hülsemannus *agnoscit,* p. 167. 169. 398. & alibi Calv. irreconc: *Vt* Tract. de Conciliatione t. 21. *monebo: Minùs in negotio religionum, è quo tot lernæ malorum Politicorum nobis in Imperio, Galliâ, Angliâ, Belgio, pullulârunt, cogitata super eo suscipere alienum Christiano aut probrosum haberi debet.* 4. Sed nec *ab inquirendo ac disceptando desistere propterea docti jubentur, quæ omnia continuare possunt, Vt & ipse facio: Sed modus tantùm in mysticis & determinatio per non Liq. suadetur ac indicatur, Vt multa hic abstrusa, non ad vngvem omnia secta esse posse cogitetur, factoq; in disceptando de mysticis demonstretur.* V. t. 18.

14. 2. Per non liquere omnibus hæreticis tutissimum medium latendi, *occultandi, & hæreses dissimulandi ac propagandi suppeditatur, qui promptissimè illud arripient, Vbi determinatè ad sententiam affirmando aut negando respondere debebunt, sibi non liquere dicent, & sic perpetuum errorum refugium ac latibulum habebunt.* ℞. 1. Falsum hoc universum *est, nisi & Vetustissimos* Patres *hæreticis refugia adornasse dicas, qui non liquere identidem suggesserunt & adhibuerunt,* t. 7. *Ipsa mysterio-*

rum

rum natura & conditio id requirit, t. 3. *Si inde latibulum hæretico arripitur, malitiâ ac astu hæretici, & sic per accidens fit, non naturâ rei ipsius, quæ per non liquere intelligitur.* 2. Nullus hæreticus verè proprieq; talis in non liquendo sistit, *sed ad certam specialemq; rei determinationem descendit, quàm erroneè negat aut affirmat, & in eo pertinaciter persistit, reliquaq; adversa omnia oppugnat, eludit, & aversatur, interdùm & blasphemat. Et in hoc proprium hæretici est, qui si in non liquendo perstitisset, nunquam in hæresin labi potuisset.* E. g. *Si* Arius *dixisset, non liquere sibi, an DEI Filius ejusdem essentiæ cum Patre esset, an Homousius ei, an Heterusius, ut hæreticus damnatus nunquam esset. Sed ipse* expressè negavit illud, *& naturâ sui meram Creaturam ex eo fecit, quod longè aliud, quàm non liquere. Sic an Filius eandem numero, an distinctam essentiam â Patre habeat, rudis Christianus non liquere dicere queat, & nondum hæreticus est. Sed hæreticus* Arianus, Photinianus, *id expressè negat, impugnat, & per seculum pertinaciter impugnare perrexit. Hoc multùm diversum à non liquere est, Quod incognitum esse, adeoq; nec affirmari, nec negari posse importat, cum hæreticus alterum membrum apertè neget, & ut erroneum impugnet. Sed qui non liquere arripit, neutram partem impugnat, totum inter arcana & incognita repositum esse asserit.* Conf. Iren. def. p. 1. t. 2.

15. 3. Omnia incerta & suspecta in fide per hoc *in Theologicis reddi possunt, si non liquere dicatur, liberum n. relinquetur affirmare aut negare, imò nihil de re aliquâ tenere aut assentiri concedetur, & plenus Libertinismus, tandemq; Atheismus per id introducetur, ut prorsùs nihil credi sustineatur.* ℞. 1. Nempè si *in omnibus & passim* τὸ *non liquere arripiatur, id sequetur. Iam* in obscuris, intricatis, & non satis plenè in sacris revelatis *tantùm assumitur: In cœteris, in quibus sensus determinatus apertissimus*

tissimus est, nequaquam locum habet, & si urgeatur aut adhibeatur, hominem non satis exactæ mentis esse oporteat. Sic Christum *ad inferos descendisse apertè in Sacris scriptum. Qui hic ad non liquere decurrat, impiè faciat, & stuporem suum prostituat. Sed quo temporis momento, quâ ratione, quibus circumstantiis, quib. comitibus, satellitibus, id actum, non ita revelatum est, eoq; hic non liquere arripitur.* Sic angelos bonos *esse, eosq; contra malos depugnare scriptum, eoq; non liquere arripi hic non potest. Sed qui speciales eorum ordines, Chori, diversitates, qualitates, relationes sint, non ita scriptum, eoq; per τὸ non liquere amovendum*, t. 7. *Vt* in Michaël. *dictum.* Sic Christum *sub Pilato passum, mortuum, crucifixum esse apertum est, nullo non liquere differendum. Sed quæ passionis ad verbum communio, participatio, alternatio sit, aut denominatio accurata esse possit, non ita expressum, eoq; rudis Christianus non liquere arripere potest.* Sic Christum DEUM & hominem esse *in Sacris expressè traditum est, & vanè τὸ non liquere hic arripiatur. Sed quæ ratio unionis personalis inter DEVM & hominem sit, quæ ratio perichoresios, communionis naturarum, idiomatum, apotelesmatum, operationum & effectionum, & denominationum inter Deitatem & humanitatem sit, quot genera & modi communionum in illis sint, & quæ similia, non ita traditum est, eoq; illa omnia Laicus non liquere dicere potest, & hic tutò illud arripitur, multaq; horum* in Scholis *inter doctos disceptari debeant, quæ ad ipsam fidem Christianam non ita rigidè requiras.*

16. 2. Si per id omnia incerta *ac suspecta redduntur in Theolog. quòd quædam non liquere dicantur,* E. *ut certa & extra suspicionem collocentur, omnia in illis liquere, nobisq; cognita ac perspecta esse dicendum erit. At hoc dici de mysticis nequit, mysteriorum naturis adversum est, & infinitis exemplis in spiri-*

tualibus falsi convincitur, quorum specialia assignare non possumus, propriaq́ absurditate concidit, t. 3. 7. 3. Libertinismus *verò & Atheismus ex eo sequentur, si in mysticis omnia liquere dicantur. Liberum n. cuivis erit, in infinitum mystica scrutari, omnes minutias exquirere, ventilare, constituere, de omnibus modis & circumstantijs disceptare, omnes specialitates curiosissimè inquirere, discutere, & assignare, in infinitum litigare, nihil ignoratum admittere, sicq́ cuivis ingenio audendi ac statuendi de spiritualibus eorumq́ specialitatibus ingens porta aperitur, plenaq́ licentia quidvis sibi in spiritualibus concedendi & arrogandi introducitur, ut in infinitum disceptent, donec finis & exitus nullus ampliùs esse appareat, Vt* Scholastici *olim fecerunt, tandemq́ omnia incerta esse cogitetur, ut credas, quod libuerit, qui* Libertinismus *in fide, vel omnia vana censeas, nihilq́ credere arripias, qui verus* atheism9 *est, qui per illam hypothesin de omnia liquendo introducitur,* Extrema duo *hic in spiritualibus cavenda:* Nihil liquet, *quod Pyrrhonismum, Scepticismum, & Academicismum,* & non nihil liquet, vel omnia liquent, *quod Epicureismum & immanem arrogantiam importat.* Medium *inter extrema eligendum & tenendum, quædam non liquent, & in mysticis interdùm ad non liquere justè recurritur. Prout & in Naturalibus prudenter illud adhibetur,* t. 4. 5. *Et inter Pyrrhonismum ac præsumptuosam omnium rationes dandi audaciam tutò medio itinere navigatur.* Occupat extremum scabies, extrema caveto, Extremis positis medio tutissimus ibis. Plura Tract de corrupt. sectarum *deducentur.*

17. 4. Ara *ignoto DEO hac ratione erigitur, ut* Mendoza *loquitur* d. 9. Phys. t. 23. *Et creditur id, quod non determinatè cognoscitur, quid aut quale sit. Quod vagum ac incertum credere est, ac Ethnicam incertitudinem inducit, tandemq́ perinde est ac nihil credere, Vt illud Christi hic locum habeat, Nescitis, quid*

adoretis, Joh. 4. v. 22. ℞. Totum hoc negatur. *In ipsis fundamentalibus ac principalibus punctis determinatè scitur & creditur, quid & quale sit, & hic non liquere locum non habet*, t. 15. *Sed in varijs modis, circumstantijs, & specialibus rationibus non semper satis à nobis determinari potest, & hic non liquere arripitur*, c. l. *Per hoc nec ignoto DEO ara erigitur, notum n. nobis ex sacris, quis unus ille DEVS sit, Pater nempè Christi*, 1. Cor. 1. v. 3. C. 8. v. 6. 2. Cor. 1. v. 2. C. 11. v. 31. *Et passim, & ab eo filius DEus de DEO, & Sp. S. à Patre procedens*, Joh. 15. v. 26. *Quod gentilibus, Iudæis, Mahometanis, ita notum non est, Etiamsi tandem omnia quæsita & curiositates, quas mens humana de uno illo DEO sibi formavit & disceptavit, novisse aut decidere non queamus, Sed* hic τὸ non liquere *arripere cogamur*: Nec *vagum ac incertum credere inducitur, Quædam n. satis in sacris determinata certò ac specificè creduntur, alia non satis determinata ignorari, aut ad cœlestem Academiam differri dicuntur*: Nec *ad Ethnicam incertitudinem proceditur. Multa n. certò ac solidè nos è sacris novimus, Quædam tamen in hac caligine nos ignorare non iniquè ferimus, & ad beatiorem vitam anhelamus, in quâ multa facie ad faciem patebunt, quæ hic in ænigmate videri, & latente verbo utcunq; velut in speculo apprehendi, & cætera pios animos latere coguntur.* Conf. Meth. d. Trin. t. 45.

18. 5. Per non liquere asyla *ignorantiæ & socordiæ hominibus constituuntur, Vt nihil solidi inquirant, aut explicatum curent aut acceptent, Multa hic sciri non posse regerant, & sic in propria inscitiâ obdurentur sibiq; blandiantur. A quo homines avocare satius est.* ℞ 1. Antecedens negatur, τὸ *non liquere in quibusdam tantùm & specialibus modis aut arcanis arripitur, non omnibus*, t. 13. 15. Eoq; *si socordiæ aut inscitiæ firmamentum aliquod hinc oritur, in quibusdam tantùm erit, quæ scire nos non attineat,*
&

& specialiter nobis revelata non sint. Ignorare n. in mysticis quædam nos oportet, secùs non essent mystica, t. 3. *Socordia a. propriè nulla est, si non inquiras ea, quæ scire non debeas aut possis.* 2. Quod si *omninò inscitiæ ac socordiæ prætextus homines hinc rapiant, etiam eorum, quæ sciri possint ac debeant, per accidens & vitio eorum fit, non naturâ ipsius non Liquere ad ea contracti, quæ à nobis hic nec sciri possunt, nec debent*, t. 14. *Ad quæ à nobis hic contrahitur ac determinatur*, t. 15. 6. Per id medium multæ Controversiæ Theologicæ *in contemptum adducuntur, quasi non satis liquere possint, eoq; nec inquiri, curari, aut disceptari mereantur, Cujus oppositum potiùs in Theologicis procurandum, ut magnifiant illæ, & ingens momentum importare æstimentur. Naturâ n corruptâ homines ad vilipendenda spiritualia feruntur. Non opus est, hypotheses & media eò manuducentia illis subministrari, ut in eo animentur & confirmentur.* ℞. Si τὸ non Liquere ad ea, *quæ debet, determinetur, nihil horum consequitur, sed Controversiis spiritualibus, quæ exitum in sacris habent & decisionem inveniunt, suus bonos & æstimium relinquitur, inquiri etiam jubentur & disceptari ab illis, qui eò apti, aut ex officio obligati, ac ut de sensu earum homines disquirant, monentur. Sed reliquæ, quæ ita non decisæ, meliùs non liquere dicantur, quàm frustraneè in infinitum de illis disceptationes instituantur, cum finem in illis è sacris habere nequeamus, & sine fine contendere nullius operæ pretium in Theologicis sit.* V. præf. p. 3. Irenic. defens.

19. Deinde *non contemptus propriè, sed moderatio tantùm ex non liquere consequitur, & hic propriè intenditur, ne nimium intellectui in spiritualibus indulgeatur, & ut non sapiatur ultra id, quàm scriptum est*, Rom. 12. v. 3. 1. Cor. 4. v. 6. *Sed æquo animo qualiscunq; spiritualium ignorantia sustineatur, Cum omnium notitiam habere divinitatis argumentum sit*, t. 7. Et *imbecillitas*

humana

humana agnoscatur, cui omnes subjecti nascimur, & quam & in naturalibus abundè experimur, t. 4. 5. 7. *Homines naturâ ad spiritualia vilipendenda inclinare vitium hominum est, non natura non liquendi dextrè suis materijs admoti. Nam & eo admisso adhuc homo eximiè de spiritualibus sentire, & religiosè ea discutere ac inquirere potest: Imò eò religiosiùs illis discutiendis incumbet, quò minùs ea ab angusto intellectu suo satis capi aut penetrari advertet, unde in multis* DEO *gloriam dabit, se totum ei Verboq; ejus etiam in illis, quæ non satis distinctè assequitur, subjiciet, gloriam veritatis & certitudinis in solidum ipsi attribuet, suam caliginem fatebitur, pieq; & sobriè circa mysteria sibi procedendum esse cogitabit. De illis n. quæ non percipere valemus, sed quædam non liquere animadvertimus,* eminentiùs judicare solemus, *quòd egregia, abdita, & illustria sint, non facilè ea contemnere aut irridere solemus. Ignorantia v. latentium admirationem in animis excitare solet. Admiratio a. circa eximia, non vilia, esse solet. Majus quiddam ac pulcrius suspicari solemus esse, quod extra conspectum & notitiam nostram natura posuerit. in simili* Seneca præf. L. 1. nat. quæ. *ait. Si simile quid in hoc argumento agamus, & contemptus spiritualium facilè excutietur; non ex non liquendo prudenter adhibito consequetur aut concitabitur: Et si fortè, vitio animorum, non naturâ rei eveniet.*

20. 7. Scientia ignorantiæ præferenda. *Ideò in sacris commendatur, & ad eam homines incitantur.* Eccles. 2. v. 13. 1. Cor. 14. v. 20. *Et divites in omni intelligentiâ fieri jubemur,* 1. Cor. 1. v. 5. *Sed inquirere, scrutari, discutere, est scientia, eamq; promovet. Non liquere a. ignorantiæ respondet.* E. *illud in spiritualibus huic præferendum.* ℞. Scientia moderata de rebus, *quæ sciri possunt ac debent, & intra modum ac fines suos composita, præferenda est ignorantiæ, non a. nimia curiositas*

riositas in infinitum projecta, eaq; scrutari ac discutere cupiens, quæ homini negata aut prohibita. Hæc n. vetita & illicita est, Rom. 12. v. 3. 1. Cor. 4. v. 6. Et hic satius est ignorantiam habere, quàm nimiam & illicitam scientiam. Sic primi parentes simplice ignorantiâ in perfectione perstitissent, sed curiosa scientiâ & omniscientiæ affectatione Deiq; assimilatione expetitâ Gen. 3. v. 5. 6. in Sathanæ barathrum præcipitati sunt. Deinde scientia ignorantiæ præferenda, sed cœteris paribus, & ne aliunde impedimentum objiciatur. Vt ne cum impietate, profanitate, malitiâ, conjuncta sit. Secùs melior est simplex ignorantia cum DEVM timere, quàm curiosa scientia cum DEVM offendere. Scientia inflat, Caritas ædificat, 1. Cor. 8. v. 1. Melior est homo minutus prudentiâ, & deficiens sensu in timore DEI ambulans, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem, Syrac. 19. v. 21. Vt L. 1. d. fid. Christ. C. 6. t. 17. docebo. Diabolus Spiritus scientissimus, sed impijssimus, eoq; æternum à DEO rejectus. Benefacere homines magis assimilat DEO, quàm multa scire. Christum citiùs apprehendes sequendo, quàm legendo & speculando, Bernhardus dixit. Eundem diligere satius est, quàm omnia scire, Ephes. 3. v. 19. Vt Lutherus reddidit, etsi Græcus aliter.

21. 8. Per non liquere hominem seipsum ad voluntariam beluinam ignorantiam ac stuporem damnare necessum est, Cum potiùs ad contemplandum DEI opera & revelata creatus sit, indeq; Creatorem suum glorificare debeat, Ps. 100. v. 2. Ex quo si se in supinam inscitiam immergat, apud DEVM inexcusabilis est, fini n. Creationis contrariatur. E. non admittendum illud non Liquere. R. Antecedens falsum. Manent n. plurima, quæ scrutari & inquirere homo potest ac debet, & quæ liquere ipsi possunt, Vt quæ in naturâ & Scripturâ satis à DEO revelata sunt, ut non statim ad beluinam ignorantiam præcipitetur, si in

spiritualibus interdum non liquere arripiatur Et creatus homo ad contemplandum est. *sed quæ inquiri ab homine possunt, quæq; à DEO sufficienter revelata sunt. Non a. ad omnia arcana ac abstrusa eruenda, rimanda, & repræsentanda, quæ nec sufficienter revelata: & quorum notitiam DEUS sibi reservare voluit.* Aliud etiam, *in supinam ignorantiam etiam eorum, quæ scire possis ac debeas, se demergere, hoc homo facere non debet, sed inquirere, scrutari, discere, scientiam comparare*, Prov. 3. v. 13. seq. C. 8 v. 5. seq. Aliud, *in abstrusis quandoq; ad non liquere recurrere, ubi alia exeundi via non patet. Hoc interdum licitè arripere potest.* 9. Ad perfectionem est contendendum, *non imperfectionem. Sed scire & liquere est perfectio, non liquere imperfectio.* R. Ad perfectionem contendendum, sed humanam, *& cæteris paribus, qualis haberi & occupari ab homine potest, non absolutam & omniscientiam aliquam, aut ubi exitus non datur. Omnia n. scire DEO relictum*, t. 7. *Et per id primi homines sorte suâ exciderunt, quòd id affectârunt*, Gen. 3. v. 5. 6 Conf. t. 7. 20. *Scientia a. humana est, quæ homini debetur & ab eo acquiri ac teneri potest. Scire etiam perfectio est, sed humana & comparata, non absoluta & omniscientia, ut interdum cum non liquere concurrat etiam in ipsis naturalibus*, t. 4. 5. *Cur non & in spiritualibus? Ex parte n. hic cognoscitur*, t. 6. *Ad eam ergò contendendum, non autem ad absolutam illam, cui omnia liquent, nihil non liquere dici potest, quæ nec debetur homini, nec promissa est, nec ab eo comparari potest. Talis a. est, ubi omnia liquent, & non liquere simpliciter exulat, ut in DEO.*

22. 10. Per non liquere in naturalibus *ignorantia prostituitur, quod doctis viris fugiendum magis, quàm occupandum. Illi n. ut omnia nôrint, omniumq; rationes assignare queant, laborare debent.* R. Per non liquere temerè, imprudenter, &

& impertinenter *sine fonticâ Causâ in naturalibus adhibitum ignorantia prostituitur, non a. ubi necessarium prorsùs est, aliusq́; exitus de re non datur. Hic non prostituitur, sed suo loco ac occasione indicatur & promitur ignorantia ac caligo humana, quæ so te humanitatis nobis incumbit, quamdiu hic homines & terrenæ moli alligati sumus, quæ animam aggravat, & terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit*, Sap. 9. v. 15. *In quo nulla prostitutio, Cum omnes Philosophi & sapientes de eo conquerantur*, t. 11.

11. Debemus DEO aſsimilari *& ad ejus perfectionem contendere*, Matth. 5. ℣. 28. Epheſ. 4. ℣. 13. *Sed DEUS omnium rationes novit, nunquam ad non liquere recurrit*. E. *& nos eò contendere debemus, & sic non liquere potiùs omittendum Nam studium perfectionis illud sufflaminat*. R. Debemus DEO aſsimilari *in sanctitate & innocentiâ Vitæ*, Lev. 11. ℣. 44. C. 19. ℣. 7. C. 20. v. 7. 1. Pet. 1. ℣. 16. *Misericordiâ, benignitate, & beneficentiâ*, Matth. 5. ℣. 45. Luc. 6. ℣. 36. *Non a. omnium scientiâ, quam sibi soli reservavit*, t. 7. *Nec in hac DEO assimilari jussi sumus, & in quâ similes ei fieri non possumus, sed cujus affectatio primos parentes è summâ felicitate in extremam miseriam præcipitavit*. t. 20 *Et ad perfectionem DEI contendere debemus*, ſed nobis proportionatam, *Ut humana sit & maneat, ac in quantum datur, & pro statu hujus vitæ licet, non ut in totum eam assequi speremus, aut in DEUM aliquem nos hic transformari posse credamus, Et scientia hujus vitæ ubi perfectissima fuerit, in multis ad non liquere recurrere cogetur etiam in ipsis naturalibus*, t. 4. 5. *Cur in spiritualibus id fieri ægrè feramus?* Conf. t. 21. *Ex parte a. hic cognoscimus & prophetamus*. 1. Cor. 13.

23. 12. Non debemus pueri fieri in cognitione, *sed perfecti, In malitiâ a. pueri fiamus*, 1. Cor. 14. v. 20. Epheſ. 4. v. 14. *Sed per non liquere veri pueri in cognitione fimus, Eo-*

rum n. ea est responsio, sibi non liquere. ℞. Per non liquere scil. pafsim & ubiq; *adhibitum veri pueri in cognoscendo evadimus, Illi n. nihil sibi liquere ajunt, omnium ignorantes sunt: Non autem interdùm in rebus, ubi decet ac fas est, dextrè adhibitum, ut abditis & abstrusis, mysticis, non satis in sacris revelatis,* t. 15. *Hic n. pars prudentiæ humanæ est, quædam æquo animo ignorare velle,* t. 9. *Prudentia a. cognitio aliqua, non ignorantia est. Debemus perfectioni in cognoscendo incumbere, non pueri sensibus fieri: Sed illa perfectio & sensus tamen mensuram, gradum, & modum suum habent, intra quem teneantur, & ultra quem non ferantur, secùs excedant & vitium trahant, ut cum in ipsa* DEI *arcana & reservata temerè involare præsumant. Non n. ultra id, quàm decet & scriptum est, sapiendum,* Rom. 12. 1. Cor. 4. V. t. 20. *Non debemus pueri fieri & prorsùs rudes in spiritualibus esse:* Sed nec nimis in omnibus curiosi & *in infinitum vagantes esse debemus, ut prorsùs nihil ignorare velimus, sed utrumq; extremum cavere, & medium observare ac tenere debemus, ut in multis alijs solemus. Nec pueri in spiritualibus fieri, nec Dij aut omniscij debemus. Medium tenere æquum est, & aliqua nosse decet, aliqua* DEO *Christianum reservare par est. Stultum est nihil scire, & omnia scire velle, ac se hominem esse oblivisci. Et pueri non fieri debemus, nempè in dogmatibus Christianis, ut quovis doctrinæ vento incerto modo nos circumferri patiamur, nihil certi & constituti in doctrinâ Christianâ teneamus,* Ephes. 4. ℣. 14. *Nec per non liquere id intenditur aut acquiritur: Dogmata n. fundamentalia Christianæ rei certa, liquida, & constituta apud Christianos esse debent, non puerili inscitiæ, incertitudini, aut vagationi hic subjacere debemus: Non a. ut omnium scientiam in spiritualibus nos habere hic posse, aut velut ad exactum unguem ea resecare debere credamus. In dog-*

mate

mate fundamentali certi, pleni, & radicati esse debemus: In varijs difficultatibus spiritualibus occasione eorum motis aut ventilatis deficere quandoq́ possumus, & tùm ad non liquere decurrere *necesse habemus.* 13. Sermo Christi *in nobis opulentè cum omni sapientiâ inhabitare jubetur,* Col. 3. v. 16. E. *& accuratè spiritualia disceptare licebit.* R. Opulentè, sed practicè, *in docendo ac adhortando ad omne spirituale incrementum,* DEOq́ *gratias agendas, ut textus statim subjungit, & benè explicat* Chrysostomus in C. 3. Colos. hom. 9. Et Conc. 3. de Lazaro, *Qui dignus est, ut diligenter hic legatur, non infinitis curiositatibus & speculationibus indulgendo, aut in infinitum contendendo. In omni sapientiâ, sed ad veram pietatem faciente, quò non omnes spinosæ scholarum disceptationes ducent.* Opulentè, *sed non curiosè, rixosè, aut corruptè, ut in varium impietatis genus armeris, ut Scholastica Theologia facit, De quo* Tr. de Corrupt. sectar. causa, t. 18. 19. 31. *ampliùs dicetur.*

24. *Ita principium illud procedendi in spiritualibus,* Quandoq; non liquere, *firmatum deductumq́ sit.* An *prudenter adhibitum in disceptatis Theologorum usum ferre queat, Exercitatio Controversiarum in illis aut monstret, aut doceat. Mihi certum, non infrequenter occupandum esse. Quî ad conciliationem diversitatum indè procedas, admotio in ipsis argumentis Theolog. palàm ostendat.* Tractatus de medio religioso, ut & de Corruptione Sectarum, *exempla in oculis omnium προφανδὸν ponent, quibus fides rei concilietur. Simul ostendi cura erit, quomodo contemptu salubris principij ad corruptionem Christianæ fidei processum, reductione ac prudente applicatione ed emendandum ac antiquam fidem reducendam laborari queat. Corruptio n. validè, universim, & intimè in regno Theolog. pervasit ac grassata est. Medicari, integrare, priscam puritatem restituere,*

 id

id opus, id labor est. Mihi *in conatu ab annis aliquot fuit, de eo seriò cogitare, media constituere, componendis quibusdam varietatibus incumbere, principia, hypotheses, modos, monita, cautelas, è tutioribus assignare, lapsus, præcipitia, excessus, ut fieri liceat, universos declinare. Manuducent eò* nominata scripta, ut & de fide Christ. libri, *ubi edendi æqua commoditas constiterit. Quid profecerim, solidorum Christianorum judicium esto. Vbi defecerim, prudenter & modestè moneri Christianum erit.* Non in sonticè corruptis incorruptum vbiq; esse licet. *In invijs viam invenire difficilis labor. Sycophantiam, perversionem, in pejus torquendi lubidinem, Politica corrupti ævi mala, procul à spiritualibus facessere æquum sit. Quod observatum nobis facilitatem, Controversiis dexteritatem conciliet: Neglectum inversumq; in infinitum controversari sinet: Vsum inde solidum Ecclesiæ Christianæ inferri non feret. Lamiæ turres aut pectines Solis fortè reportes. In vanum autem laborare stultorum proprium ajunt. Quo in concludo, Teq;,* Lector humane, *iteratò salvere, valere, & in melius de meis censere ac judicare cupio.*

Auctarium.

CUm ſpatium ſuperſit, & de corruptâ in Theol. Causâ ſæpè in Tract. hoc memoratum, viſum in ſynopſi eam & media contra illam hic repræſentare. Corruptionis Causæ in ſequentibus videntur.

1. Quæstiones nimis multas & perplexas in ſpiritualibus movere, nimisq; theoricè, non practicè, ventilare. 2. Principia probandi aliena, heterogenea, & inſufficientia adhibere. 3. Principium homogeneum, Scripturam, ſæpè alienè ac remotè adducere. 4. Non liquere nimis negligere. 5. Medias ſententias non ſatis attendere, ſed extremas fermè præferre. 6. Fines alienos pro legitimis intendere & cogitare. 7. Modum procedendi alienum & perſonalia cum realibꝰ, aliena cum pertinentibus confundentem, in Theolog. adhibere. 8. Antiquam fidem Chriſtianam in multis evertere, & everſionem continuare.

Media contra corruptionem ex oppoſito ſumenda ſunt, & ſequentia hæc ſunt. 1. Quæstionum numerum, pondus, & menſuram in Theol. habere

habere & observare. 2. Principia probandi rebus homogenea adhibere. 3. Principium homogeneum, Scripturam, in justo & propinqvo Sp. S. sensu semper adducere. 4. Non liquere prudenter notare ac usurpare. 5. Ad medias sententias inter extremas quandoq; attendere, & extremis anteferre. 6. Finem proprium & adæquatum in Theol. studiosè intendere ac exprimere. 7. Modum disputandi spiritualibus competentem adhibere, alienum fugere. 8. Antiquam fidem in puritate, simplicitate, & sanctitate reducere, servare, & promovere. Specialia horum alijs occasionibus deduci poterunt.

Gloria in excelsis Deo,